

Q. K.  
435  
26.

X 1879287

83155

II R  
2834

Deo & Superioribus faventibus  
SCHEDIASMA

DE

PARACHA-  
RAGMO,

sub moderamine

VIRI

*Nobilissimi atq; Excellentissimi,*

DN. D. PAULI FRANCISCI  
ROMANI,

P.P. Facult. Jurid. Assessor. & Cano-  
nic. Numburgensis,

*Agnati sui & Præceptoris etatem venerandi.*

die 19. Decemb. anno 1672.

*In cathedra Juris solenniter defendet,*

FRANCISCUS ROMANUS, Cygn:  
Autor.

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.



F18. 18







C A P. I.  
De Definitione.

§. I.

**D**Aracharagmus idem est, atq; adulteratio monetae. Derivatur enim à Græco *ἄρα & χάραγμα*, quod non tantum notam quamcunque, verum propriè figurationem, typum, iconium, seu monetae fusionem denotat. Unde *paracharactæ l. 8. C. Theodos. de fals. mon.* item *paracharattæ, paracharaximi, monetae adulteri l. 5. d. t. solidorum adulteri l. 2. C. Justin. de fals. mon.* dicuntur. Et *ἄραχαραγίτην* falsam monetam formare significat, teste *Jacob. Gothofr. ad C. Theod. in l. 9. de fals. mon.*

§. 2. Itaque describi potest, quod sit crimen publicum, quod incidenda moneta à personis fraudulentis, vel ratione materiae, vel ratione formae committitur, atq; à legibus coercetur.

§. 3. Publicum propterea dicitur, quoniam tam in crimen læsæ Majestatis. *l. 2. C. de fals. mon.* quam Legis Cornel. de falsis *l. 9. ff. de L. Cornel. de fals.* incidit, ea verò crimina publica esse nemo non intelligit *l. 1. ff. de publ. judic. §. 3. & 7. Inst. eod.* Porrò etiam capitale est *d. l. 2. C. de fals. mon.*

§. 4. Committitur in moneta. Ut igitur eò melius possit intelligi, de ea quoque pauca in medium adducemus. Nonnulli putant illam à Dea Moneta, quæ pecuniarum curam habere credebatur, nomen accepisse, sed illorum fundamentum nullam meretur fidem. Non enim est credibile, quod de Junone Monetâ *Suidas* scribit: Romanos, cum pecunia indigerent in bello contra *Pyrrhum & Tarentinos*, eam invocasse, ab eaque admonitos fuisse, ut justitiæ armis uterentur, sic enim pecuniam iis non defuturam.





ram. Atq; cum ita evenisset, eos Junonem Deam Monetam veneratos esse, ejusq; rei signum fuisse, quod nomisma, id est moneta inscripta in ejus templo asservaretur; videbis *Rosinum libr. 2. antiqui. Roman. c. 6.* Magis verisimile est, monetam à monendo dictam esse, præprimis cum nihil aliud præstet, quàm ut nos vel auctoris, vel valoris, vel rerum memorabilium, vel ne quid fraudis æri, signo ponderivè insit, commoneat, *Bocer. de Regal. c. 2. n. 224.*

§. 5. Nomen monetæ variè accipitur: Quandoque pro officina, in qua nummi formantur vid. *l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. peculat.* Unde dicitur moneta Principis, *l. 3. C. Theodos. de fals. mon. monetæ publicæ s. fiscales l. 7. eod.* Quandoque pro signo s. nota, quam Græci ἀρχέτυπον aut σφραγίδα vocant, *Cujac. in not. ad tit. C. de fals. mon. in verb. monetam:* Quandoque etiam pro pecunia, quæ in usu publico, seu permutatione publica expenditur. *l. 1. §. 2. C. Theod. Si quis pecunias conflaverit.* Qui sensus hujus loci est.

§. 6. Et ita describitur: Quod sit æs certa constans quantitate, publica auctoritate percussum, ut commercio hominum inserviat. Generis loco positum est æs, & rectè quidem: Æris enim nomine quæcunqve indigitari numismata, satis evincitur per *l. 27. §. 5. ad L. Aquil. l. 213. §. 1. ff. de V. S.* adeo, ut nec aurum excludatur, licet aliis strictè loquendo diversa videatur ab ære species, per versiculum notissimum: Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est. Idqve confirmat *Ulpian. in l. 159. ff. de V. S.* hisce verbis: Etiam aureos nummos æs dicimus.

§. 7. Illud autem certa quantitate constare, & publica auctoritate percussum esse debet *l. 1. ff. de contr. emt.* Neqvit enim nummus privata auctoritate fieri, sed omninò necesse est, ut circa eum omnia à Majestate ordinentur. Ea qve propter voluit Imperator, Constantinus, ut in suis tantum monetis cudendæ pecuniæ studium frequentaretur, & secus facientes Majestatis criminis rei fierent. *l. 2. C. de fals. monet.*

§. 8. Dictum tandem est, ut moneta hominum commercio inserviat. Et rectè quidem: Cum enim olim non ita (id est nullo modo, ut explicat *Gothofredus per l. 38. §. 7. ff. de edil. Edict.*) nummus fuerit, neqve permutationi semper & ubiqve locus esset, electa publica materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficulta-



cultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, eaque materia publicâ formâ percussa est, usum dominiumque non tam ex substantia præbens, quam ex quantitate. *l. 1. pr. ff. de contrab. emt.* Unde per pecuniam vitæ commercia habemus, dixit *Plato Lib. 5. de LL. Arist. Lib. 1. pol. c. 6. & 9.*

§. 9. Cæterum disputari solet, quò tempore atq; autore nummi primum cudi cœperint? Negari fanè non potest, quod hac de re vix aliquid certi determinari queat, præprimis cum tam variæ proditæ sint sententiæ. Sunt enim quidam, qui ex *Josepho Lib. 1. c. 4.* Cainum ejus rei agnoscunt inventorem; Dantur etiam, qui ex *Molineo tr. de contr. & usur.* Theseum primum pecuniam fabricasse; nec desunt, qui *Philonem* in *Insula Egina* signare cæpisse, argentum, vel qui *Janum* svasu *Saturni* monetam æream, cui inscriptus ex una parte *Janus biceps*, ex altera *navis* insculpta, qua *Samius* vehi dicitur, invenisse asserant. *Calvin. in Lexic. Jurid. voc. Æs.* Reperiuntur denique, qui *Abrahami* patrem, nec non *Numam* nummorum salutant auctorem *Calvin. in Lex. citat. vocab. Nummus.* Quicquid autem horum sit, certitudo ejus parum nobis inservire potest in præsentiarum. Interim nos ad *Aristot.* remittimus *Lib. 1. pol. c. 6. & 9 & Lib. 5. Eth. c. 5.* atq; existimamus in republ. Romana *Numam Pompilium* æra primitus signasse, & certam formam iis impressisse, sed apud alias gentes diverso tempore modo citius, modo tardius nummorum usum receptum esse. Certè apud *Germanos* vix seculo *Taciti* illum invaluisse ipsosque tum demum formas quasdam Romanæ pecuniæ agnovisse atque elegisse, testatur ipse in libello suo, quem de moribus Germanorum conscripsit. *Gothofred. in not. ad l. 1. ff. de contr. Emt. lit. g.*

C A P. II.

A quibus personis crimen Paracharagmi admittatur.

§. I.

Tenetur hoc crimine ille omnis, cujus moneta non habet signum ejus, cui jus publicè eâ signandi competit, sive qui sine privilegio à Cæsarea Majestate impetrato, clandestinis sceleribus, extra monetas publicas, atque intra privatorum fundos domosve

A 3

l. 1. C.





*l. 1. C. de fals. mon.* monetam sua sponte & propria auctoritate cu-  
dit: *vid. Ordin. Crim. Carol. Quinti art. 111. vers. oder auch ohne ha-*  
*bende Freyheit münzen.* Solius scil. populi ac postea Principis pe-  
cuniæ cudendæ jus fuit, hodieqve apud omnes inter Regalia &  
Majestatis jura connumeratur per *cap. un. 2. Feud. 56. l. 2. C. de*  
*fals. mon. Job. Bodin. lib. 2. de Repub. c. 10. Henning. Arnif lib. 2. de*  
*Jure Majest. c. 1. n. 9. & cap. 7. n. 1. Sixtin. lib. 1. c. 2. n. 28. Bocer. de Re-*  
*gal. lib. 2. n. 222.*

§. 2. Et id quidem meritò, quoniam nummus mensura est ad  
quam omnia in civitate debent commensurari. *Besold in discipl. pol.*  
*de arar. publ. c. 6.* Mensura autem non rectè se habente, nec reliqua,  
quæ ad eam commensurantur benè se habere possunt. Cura igitur  
mensuræ omnia mensurantis ad Principem spectare debet, si qui-  
dem rei nummariæ curatio non tantum utilis, sed etiam Civitati-  
bus tantoperè necessaria videtur, ut sine ea commodè consistere  
nequeant *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 3.* Cum verò incumbat Impera-  
tori omnibus modis prospicere, nequid detrimenti capiat respu-  
blica, néve peccata ejus gubernatio perturbetur, ideoq; etiã mo-  
netæ curam agere ipsi competit, quoniã vix ex alia re promptius,  
quam ex monetæ depravatione respubl: damnum sentire solet.  
*Novell. Leon. 52.*

§. 3. Hinc factum est, ut olim in Imperio Romano certæ fue-  
rint erectæ officinæ, extra quas nulla plane moneta fieri potuit  
*l. 3. C. Theod. de fals. monet.* Quas officinas, quod obiter notari po-  
test, eodem nomine, quo pecuniam signatam appellare consueve-  
runt, monetas videlicet, *vid. l. 2. C. Just. de fals. mon. l. 8. C. Theodos.*  
*eod.* Cæterum in illis non Imperatoris tantum nomine pecunia  
cudebatur, sed etiam quilibet privatus eò collatum æs atque ar-  
gentum cudere potuit & figurare *d. l. 3. & ll. C. Theod. eod.* Æs  
atq; argentum dico, non etiam aurum, cujus cudendi ac figuran-  
di jus Imperatores suæ Majestati reservarunt *l. 2. C. Just. de fals.*  
*mon. l. 3. C. de vet. num. potest.*

§. 4. Quin Carolus Magnus in imperio Francico non satis ha-  
buit sibi soli jus monetæ cudendæ vindicare, sed etiam omnes mo-  
netarum officinas in palatium coëgit, quo severius atque accura-  
tius nummi fabricarentur & probarentur *Job. Bodin. lib. 6. de Re-*  
*pub.*



pub. c. 3. ubi addit. At cum postea plures habere officinas & procul à Principe metalla miscere licuit, ratio quoq; nummaria cœpit depravari. Quam ob causam unam in Imperio nummorum officinam constituendam esse, eamq; in urbe omnium maximâ, ut publicè spectantibus Magistratibus nummi percuterentur, Idè auctor & svasor est d. cap. 3.

§. 5. Hinc porrò factum est, ut solus Imperator potestatem habeat jus monetandi Regibus aliisq; Principibus Imperii conferendi Textus est in hanc rem clarissimus in A. B. Carol. IV. cap. 10. Ubi jus monetam fabricandi tam auream, quam argenteam, non solum Regibus Bohemiæ suis, ut vocat, Prædecessoribus, concessum legimus, sed etiam reliquis quibusq; Electoribus de novo indultum in verbis: Præsentem nihilominus constitutionem & gratiam virtutis præsentis legis nostræ imperialis ad universos Principes, Electores tam Ecclesiasticos, quam Seculares, successores & heredes legitimos ipsos plene extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus.

§. 6. Igitur quod Imperator jus hoc habeat, positum est extra omne dubium. Unde etenim Principes, Status imperii vel certæ Civitates insigne hoc Regale accepissent, si ex singulari indulgentia ab Imperatore ipsis non fuisset concessum, siquidem ea, quæ competunt summo Principi, per eum alteri concedi & in privilegium optimè dari possunt, l. 1. l. 3. C. Vestig. nov. inst. non poss. ibiq; Cyn. nisi asserere quis non erubescat, jus illud longa consuetudine fuisse acquisitum. Nam quod præscriptione id fieri possit, probatur arg. l. 7. ff. de divers. & tempor. præsc: quoniam quæ Princeps potest, potest etiam facere consuetudo per c. 26. §. præterea de V. S. Sic etiam Jus exigendi vectigal, utcunq; sit de jure Regalium, per consuetudinem tamen acquiri posse, testatur Myns: Cent. 4. Obs. 24.

§. 7. Neq; existimandum est Principes cæterosq; Imperii Status jus illud habere eò, quod Principes sint & principatus possideant. Tobias Pauermeister. libr. 2. de Jurisdic. Imper. Rom. c. 4. n. 20. Jacob de S. Georg. de Feud. in verb. & cum piscationibus & c. n. 2. quia generali concessione Feudi, Ducatus, Comitatus &c. Regalia concessa non intelliguntur, etiam cum investitura facta est, cum omni jure atq; pertinentiis Henric Bocer. de Regal. cap. 4. n. 3 per cap. 4. X. de offic. leg: Sic nec in generali alienatione Vasalli

con-

u-  
a-  
e-  
&  
e  
e  
Re-  
ad  
ol.  
va,  
tur  
vi-  
ti-  
ere  
ra-  
ou-  
no-  
us,  
let.  
e-  
uit  
po-  
ve-  
dos.  
nia  
ar-  
Æs  
an-  
fals.  
ha-  
no-  
ura-  
Re-  
pub.



continentur feudum, nisi nominatim id dictum sit. *2. Feud. 26. §. In generali.*

§. 8. Hinc quoque est, quod Imperator prohibere possit, ne Princeps aliique Status imperii, quibus jus monetandi indulsit, illud alteri vendere, locare vel alio quovis modo cedere queant, nisi quis poenam, quam publica Sanctio *Imperatoris Ferdin. I. in Edict. monet. de anno 1559. §. Ferner als sich &c.* delinquentibus minatur, velit incurrere, quæ hæc est, ut talis transgressor privilegium monetandi ipso jure amittere debeat. Neque enim in Republica magis quid perniciosum esse posset, quam si jus nummi cudendi ad privatos transferretur, quia illi spe quadam lucri facillimè nummos corrupturi essent, haut absque singulari Reipub. detrimento. *Besold. de arar. publ. c. 6.*

§. 9. Certis itaque quibusdam Principibus & Imperii Statibus Regale hoc insigne Imperator specialiter potest concedere, nulli vero ex privatis. *l. ult. C. de fals. mon.* tum quod privatus nullam planè habeat jurisdictionem *l. 3. C. de Jurisdic.* tum quod Regalibus jus cudendi monetam annumeretur. Regalium vero privatus minimè capax esse potest. *Bocer. de Jur. monet. c. 3. n. 227.* in tantum etiam, ut si privatus aliquis super cudendo ære privilegium ab Imperatore impetraverit, non modò eò uti non possit, cum nimirum subreptitium videatur, sed insuper etiam hoc nomine poenâ arbitrariâ coërceatur, quod ausus fuerit tale quid ab Imperatoria Majestate petere *l. ult. C. de fals. mon. Bart. & Bald. in b. l. Boccer. d. l. n. 227.* Adeoque multò magis qui absque impetratoà Cæsarea Majestate privilegio jus monetandi usurpare & exercere temerariè audet, ut maximè bonam etiam monetam atque materia & pondere itemque valore perfectam formaverit, quia tamen auctoritate destitutus est, ac privilegio, moneta illa vitiosa erit dicenda, ipseque digna plectendus poena. *d. l. ult. C. de fals. mon. l. 8. l. 9. pr. §. 2. ff. de L. Cornel. de fals. Boccer. d. l. num. 228. Menoch. de A. J. Q. cas. 316. num. 15.*

§. 10. Neque hæc distingvendum esse arbitror, an privatus aliquis, an Princeps, Civitas, aliusque Status Imperii auctoritate & privilegio destitutus monetam fabricare audeat. Præterquam enim quod Sanctionis Carolina verba generalia sint (*quincunq; vero*)

Si regalia quædam  
sunt sub iis, qui non ha-  
bent majestatem,  
sequitur, in priva-  
tis quædam posse.

Minus, quia prin-  
cipibus, majestate  
destitutis, quædam  
facere possunt.

Si beneficium prin-  
cipis & latissime  
interpretandum, se-  
quitur, in privatis  
quædam posse jus in-  
cudendi monetas etc.

Si rescriptum per  
mandatum, etc.



vero) a deoque & generaliter intelligenda l. 1. §. generaliter. 1. ff. de publ. in rem action. l. 1. §. 1. de leg. praestand. negari certè nequit, Principes absque concessione speciali monetam cudentes, æque ac alios monetarum esse adulteros, adeoque & hoc crimine teneri. Propriè namque moneta dicitur adulterina, quæ absque privilegio Cæsareo fuit formata. *Carpz. part. Crim. 1. quest. 42 n. 21.*

§. 11. Jus monetandi huc usque Imperatori vindicatum est: Nunc ostendendum, quatenus ipsi monetam mutandi potestas competat? Videtur sanè Principem monetæ valorem mutare non posse tum propter l. 1. ff. de contr. Emt. ubi semel electa materia, monetæ publica ac perpetua ejus est æstimatio, tum propter l. 3. ff. de in lit. jur. junct. l. 3. ff. d. R. C. ubi certa perpetua & ubique eadem esse dicitur pecuniæ constitutio, adeò, ut eam ementes ac distrahentes repudiare nequeant, nisi sub gravi pœnâ l. 1. C. de vet. num. potest. Unde videtur olim rarò mutari potuisse moneta. Verùm quicquid ejus sit, illam nihilominus interdum mutatam fuisse, satis innuit *Modestinus in l. 9. ff. de aur. & argent. leg. hisce verbis: Auri vel argenti pondus legatum est, si non species designata sit, non materia, sed pretium presentis temporis præstari debet.* Quare verò præsentis temporis pretium præstari deberet, nisi mutatio valoris monetarum obtinuisset?

§. 12. Principem itaq; monetæ valorem minuere posse non est, quod amplius quis dubitet. An verò pro lubitu id possit, quæritur? Et distingvendū est inter nummos probos ac reprobos, uti vocantur in l. 24. §. 1. ff. de pign. action. Hosce eum pro lubitu minuere vel planè tollere posse, argument. est l. 102. ff. de solut. Illos verò non posse, nisi accedat consensus eorum, quibus præjudicium ex mutatione contingit, & justa mutandi subsit causa, vel quia materia est vilior, vel quia justum non habet valorem, testatur *Franc. de Marchis quest. 142. q. 186. 187. referente Menoch. de A. J. Q. cas. 316. n. 69.* Nam justam æstimationem ita mutare, ut à suo valore & metalli bonitate intrinseca discrepet, non licet, multò minus monetam usu receptam eo fine abrogare, ut ex metallo corrupto moneta vilior cudatur, cum propter pecuniæ pravitatem plerumque hominum commercia cessent & curandum potius sit, ut tam veterum quam

*Quia h. summam  
ptates in Rep. ille  
in. inest h. q. s. s. s.  
sub. h. n. n. n. n.  
mutare pt.  
Atq; p. n. a. q. 5. 2.*

B

quam

in  
ceps  
lteri  
pœ  
t. de  
in-  
andi  
vid  
atos  
rru-  
de  
ibus  
nulli  
llam  
gali-  
atus  
ntum  
Im-  
irum  
arbi-  
Ma-  
l. n.  
Ma-  
rariè  
pon-  
rita-  
enda,  
pr. &  
J. Q.  
vatus  
ritate  
quam  
ncung,  
vero)



quam recentiorum numismatum justo valore constantium pretia ubique eandem æstimationem ac potestatem retineant. *Novel. Leon. 52. l. ult. C. de vet. numism. potest.* Ubi capitali pœna plectuntur illi, qui iussa Principum avaritiæ cœcitate contemnunt, & ejusdem numismatis valorem viliozem reddere audeat, cum soli Principi urgente causa id liceat. *vid. Perez. in Cod. Tit. de vet. num. potest. num. 13.* Itaq; absq; eâ tale quid jure facere non potest.

§. 13. Puto nunc ex his intelligi, quos hodiè in Imperio nostro paracharagmi reos dicere quis possit, propter publicæ auctoritatis defectum. Nimirum non modo privatos, sed etiam Principes & Civitates, quæ à Cæsare nondum jus monetandi impetrarunt. Olim etiam illos, qui permissu atq; concessione Principis alicujus vel Status monetalis pecuniam cudebant, cum hi ipsi jure monetandi uti deberent, nec fas esset aliis illud concedere. Istos tamen hodiè hujus criminis reos non videri, vel ad amissim constat ex usu recepta consuetudine. *Benjam. Leuber. in tract. von der Münze cap. 11. pag. m. 81.*

### C A P. III.

## Quomodo crimen Paracharagmi ratione materiæ committatur.

#### §. I.

**U**terius ut intelligamus, qui crimine paracharagmi teneantur, cognoscenda venit bonæ & justæ monetæ natura. Illa autem in duobus potissimum consistit (1) ut bonum habeat materiam, & justum valorem (2) Ut forma publica sit percussa. Qui igitur monetam requisitis his destitutam facit, saltim in qua alterutrum desideratur, ille falsam ac illicitam monetæ cusionem usurpat & paracharagmi crimine se obstringit. Videfis hanc in rem *Ordin. Crim. art. 111. in verb. Wenn einer unrecht Metall darzu setzt ic.* De singulis agendum erit prolixius.

§. 2. Materia autem injusta est & vitiosa non solum tunc, si tota vel plumbea vel stagnæa *l. 9. §. 2. ff. ad L. Corn. de fals. (quam lezionem ex Pand. Florent. defendit Jacob. Cujac. lib. 11. Obs. 1.)* Sed etiam

iam



iam cum ei plurimum æris admixtum est; v. g. si aureus nummus plus argenti vel æris aut plumbi admixtum habeat, quàm leges nummariæ patiuntur. Namque ex alia materia, quàm quæ publicè electa est, nummus minimè cudi debet *l. 1. pr. ff. de contr. Emt. l. 1. C. de vet. num. potest Bocer. de Jure mon. c. 4. n. 7.*

§. 3. Cæterum materiam, quæ publicè electa est, in triplici metallorum genere potissimum consistere satis indicat *l. 2. §. 30. de O. J. in verb. Triumviri monetales æris, argenti, auri flatores. add. Molin. de usur. qv. 100. n. 777. Bocer. de Jur. mon. cap. 2. n. 58.* De aurei s. solidi ratione (qui idem pretium constituunt, uti patet ex collatione §. fin. *Inst. de pæn. tem. litig. & l. pen. & ult. de in Jus voc. nec non §. 1. Inst. de obl. qvæ ex quas. del. & l. 5. §. 6. ff. de his, qui dejec. vel effud.*) quodque adeò olim ex auro tantum pecunia cusa fuerit, nullum planè est dubium. Legimus enim in *l. 1. §. 5. ff. de var. & extraord. cognit.* quod Advocato liceat pro singulis causis ad centum usque aureos à cliente suo exigere; Legimus quoque in *l. 24. & 25. ff. de in Jus vocand.* quod libertus si Patronum sine veniâ in Jus vocaverit, quinquaginta debeat multari aureis. Sic solidi inde dicuntur obryzati in *l. 3. C. de vet. num. pot.*

§. 4. Pariter & minus dubii residet in argento. Quod etenim & hoc justam monetæ materiam præbuerit, constat abundè vel ex ipsâ experienciâ. Videri potest hanc in rem faciens *l. 27. §. 3. ff. de aur. & argent. leg.* ubi dicitur, quod per argentum factum id intelligatur, quo commodè uti possimus ad usum nostrum. Sic in *d. l. 27. §. 4.* dicitur, Patrem familias per argentum signatum id legasse, quod certa quædam formâ est expressum, sicuti Philippi sunt, numismata & similia.

§. 5. Idem etiam de ære affirmandum est. *l. 2. §. 30. ff. de O. J.* Sed an solum æs sufficiat, an cum metallo pretiosiori debeat esse commixtum, adeo expeditum non est. Reprobata sanè moneta dicitur ærofa, id est subærata, quæ, cum aurea & argentea videatur, plurimum æris in se habeat, sive quæ plus in se æris habet, quàm oportet. *Jacob Cujac. tr. 8. ad Africam in l. 39. ff. de solut.* adeoque merito à Præside provinciarum rejicitur, *l. creditor 102. pr. ff. de solut.* Neque enim Accursium ibi audimus, qui legit herosam pecuniam



Obs. l. 9. pr. 8  
ad L. Corn. de  
falsis.

& interpretatur dominabilem. Nec opus est ut cum *Stephan. Forcatulo. libr. 6. Necyomant. cap. 1.* legamus erasa, quasi agatur ibi de circumcisa & non justis ponderis pecunia. Unde multò magis pecunia ex solo ære conflata improba dicenda. Itaq; semper æs, ex quo pecunia cuditur, cum alio quodam metallo commistum esse debet ita, ut illud potissimam partem faciat, estq; de veteribus notum, quod tam aurum l. 5. §. 1. vers. sed si ff. de R. V, quam etiam argentum l. 12. §. 1. ff. de A. R. D. æri admiscere consueverint. Quippè olim Majorinam pecuniam in usu fuisse & illam dictam, quæ partim ex argento, partim ex ære fuit conflata, constat *ex l. 6. C. Theod. de fals. mon.*

§. 6. Quæcunq; verò moneta neq; ex auri, æris, aut argenti materia facta est, illa ut reprobata jure meritoq; rejicitur. Hinc nec justa agnoscitur, quæ ex stanno, plumbo, corio, cortice, papyro confecta est, quoniam nummorum materia debet esse constans ac perpetua, enarratæ vero pro talibus nequiquam sunt habendæ. Non obstat *l. 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de fals.* quod enim locus ille ad nummos peregrinos, puta Daricos, Philippicos, Tetradarchum, & id genus alia numismata referendus sit, communiter ad hunc locum Doctores contestantur. Sic quoq; Dionysium Siculum tyrannum suos aliquando Syracusanos coëgisse stanneis nummis uti: item etiam Spartanam ut & Byzantinam monetam fuisse quandoq; ferream, auctor est *Gothofred. in not. ad h. l. lit. g.*

§. 7. Unde ea, quæ sunt dicta in §. præcedenti, non absolutè, sed potius cum quadam limitatione sunt intelligenda. Etenim quandoque etiam ad materias ejusmodi confugere licere, si urgentissima necessitas svadeat, exempla passim testantur, & Patrū nostrorū ætate aliquoties id usu venisse in historiis legitur. Ubi tamen (1) observandum, quod nummus iste verus nummus non sit, sed tantum vice nummi subsidiarii habeatur. (2) Quod cessante ista necessitate cum vero nummo & qui speciei probæ est, iterum permu-  
tari, & damnum communitati illatum refarciri debeat. *Besold. in Recapitul. monet. qu. Responso. Jur. prim. p. mihi II.* Exemplum habemus in Friderico Imperatore, qui post exhaustam diuturnitate belli Italici pecuniam, jusfit monetam cudi coreaceam, eiq; valorem aurei Augustalis adsignavit, edicens per præconem, se bello



lo tum temporis suscepto, finito, pro singulis nummis coreaceis aureum Augustalem restitutum. Quod dum bona etiam praestitisset fide, satis innuere voluit, non verum & perpetuum, sed vicarium tantum monetae coreaceae fuisse usum: *idem Besold. d. l.*

§. 8. Caeterum quicumque falsam monetam ex vitiosa cudit materia, quamvis eandem non expendat, Paracharagmi crimen ratione materiae commissum incidit. Quonia sola quoque fabricatio falsae monetae Imperatoriae, crimen laesae Majestatis committitur, secundum constitutionem Imperatoriam in l. 2. C. de fals. mon. utpote quae inter cudentem & exponentem falsam monetam non distinguit, sed simpliciter monetae falsarios Majestatis criminis reos esse adserit. *Carpz. pr. Crim. p. 1. qv. 42. n. 92. § 95*

§. 9. Multo magis autem ille tenetur publico crimine, qui praeter injustam monetae cusionem, illam quoque in vulgus expendit, quamvis hoc proprie loquendo ad nostrum praesens non pertineat. Cum enim ille praeter crimen laesae Majestatis d. l. 2. C. de fals. mon. criminis falsi etiam reus fit, l. 9. ff. ad l. Corn. de fals. ideoque & ipsum poena ordinaria non potest non manere d. l. 2.

§. 10. Illud autem quaeritur, an is, qui monetam falsam, ex vitiosa materia ab aliis formatam tantum expendit, crimine ejusmodi se obstringat? Et distingvendum est (1) an expendens aliis cudentibus, & falsificantibus auxilium & operam praestiterit, vel stando in excubiis, ignem sufflando, vel alio modo delictum promovendo, & tunc criminis Majestatis, adeoque & hujus reus est per l. 1. C. de fals. mon. vers. si n vero. an vero non. (2) Si ejusmodi opem non tulit, an sciens falsam esse monetam, an vero ignorans expenderit? Priori casu criminis falsi Reus est, ideoque nec hoc plane liberabitur l. 9. § 2. ad l. Corn. de fals. Menoch. c. 316. ubi excipit illum, qui semel vel bis saltem id fecit. Quum enim, ait ille, per hoc delictum, parum damni bono publico fuit datum, quapropter tanquam modicum a Praetore non curatur l. 4. ff. de in integr. restit. praepriis, quoniam sicuti in aliis criminibus, ita & in hoc tam commissi qualitas, quam quantitas atque iteratio spectari debet. l. 16. §. 6. ff. de paen. quod tamen suo loco relinquimus. Ultimò autem casu plane securitate consequitur, tum quod per errorem in falso delinquenti ignoscatur l. 31 ff. ad l. Corn. de fals.

*Crimin. monetam ad alteram non publicat, illa crimen parasit. raymi non incurrunt.*

*Ally, q. monetam scilicet expendit, sic non publicat.*

*Crimin. non e soli ad alteram aduect, neq. nummos falsi sunt sine formidate ille criminis falsi Reus e.*

*Laijam monetam publicavit, ille scilicet crimine paracharagmi B 3 falsi tum falsi rei. Ally q. expendit, ille publicat. E. Nupur. ex l. 2. C. de fals. moneta. ubi falsis crimes paracharagmi incurrere dicitur.*

n. For. ibi de gis pe- es, ex nistum eribus im et- erint. ctam, ex. l. 6. genti nc nec apyro ns ac endæ. lle ad arch- mu- fium neis tam it. g. è, sed van- tisfi- rorū n (1) tan- a ne- mu- d. in ha- nita- va- bel- lo



tum quod in crimine falsæ monetæ scientia & dolus requirantur. *l. 9. §. 2. ff. eod.* quem tamen iusta ignorantia excludit *l. 50. ff. locat.*

§. II. Porro attendenda hic venit (1) monetæ qualitas, ut scilicet crimen hoc ratione materiæ non in Imperatoris tantum, sed etiam Principum inferiorum aliorumque Statuum imperii, qui iure monetandi gaudent, quacumque moneta committatur. Siquidem hodiè in imperio nostro Romano-Germanico moneta quælibet pro moneta sacri Romani Imperii reputatur, *Matth. Stephan. in Ord. Crim. Car. art. III.* quamvis non ipsius Imperatoris, sed Principis inferioris ac Statuum imperii subscriptione tantum signata sit, *Carpz. pr. Crim. l. qu. 43.* Et quidem propterea, quoniam ab ipso, qui concedit, habet auctoritatem, non vero à Principibus, quibus jus cudendi nummos dependenter est concessum. *Vid. Recess. Imper. de anno 1551. §. So haben wir ic.* Indeque est, quod in horum monetæ falsificatione æque ac Imperatoris, Majestas lædatur. Quamquam enim non in his personis, tamen respectu personæ illius, cujus intuitu hoc privilegium exercetur, majestatis læsæ crimen committitur. *Arnif. lib. 2. de Jur. Majest. cap. 7. Recess. Imper. 1559. §. Ferner als sich 1570. §. Alsdenn auch ic.*

§. 12. Ut taceam, quod *Ord. Crim. Carol. art. III.* generaliter loquatur, omnes monetæ falsificatores crimen paracharagmi perpetrare, adeoque etiam generaliter intelligi debet *l. 1. §. 1. ff. de leg. prest.* Neque enim inter Imperatoris ac Principum inferiorum numismata distinguit, quo ipso haud obscure colligere est, dicta ad ea quoque pertinere, & delinquentibus in monetæ inferioris principis falsificatione, eandem ac si imperatoriam Majestatem læsissent, poenam dictandam. *Videsis omnino verba in hanc rem Recess. imper. de anno 1559. clarissima: Daß sich männiglich hinführo bey Straffe des Feuers aller vortheiliger Handlung und Fälschung aller alten und neuë guten Münzen/ausserhalb der fremden enthalten solle. vid. Matth. Stephan. in Ordin. Crim. art. III.*

§. 13. Neque his obstat *l. 2. C. de fals. mon.* quæ illos demum crimen hoc committere dicit, qui solius Imperatoris monetam ex vitiosa materia formant: Etenim tum temporis nulli præter Impera-



ratores jus monetæ cudendæ competebat, unde fit *legem. l. 1. §. 2. C. de fals. mon. solius* summi principis facere mentionem. Postquam verò illa potestas inferioribus quoque ab Imperatore fuit indulta, idem etiam sine dubio de adulteratoribus nummorum signatorum ab aliis Principibus, qui auctoritate summi Principis utuntur ex indulgentia, & jura imperii in suis habent territoriis, dicendum. *vid. Menoch. de A. J. Q. c. 316. n. 9. §. 29.*

§. 14. (2) Monetæ quantitas venit quoque observanda. Ubi non puto distingvendum esse, an quis majores nummos v. g. aureos, imperiales, an minores. v. g. grossos vel denarios fecerit, siquidem tam propter majorem, quam minorem ex vitiosa materia formatam, pecuniam, crimen læsæ majestatis committitur. Imprimis cum per corruptionem ac monetæ minoris falsificationem æquè etiã Reip. damnum detur, ac si falsi ac vitiosi aurei atque imperiales confecti essent. Cum igitur ratio quodammodo hic militet identitatis ideoque eandem facit juris dispositionem, siquidem de similibus idem judicium ferendum. *per cap. inter incorporalia 2. §. sicut ergo X. de translat. Episc.* Præsertim cum Imperator Constantinus in *l. 2. C. de fals. mon.* eos majestatis crimini obnoxios dicat, qui nummos falsa formarunt fusione. Nummorum autem appellatione cujuscunque fortis monetæ veniunt, tam majores & pretiosiores *l. 159. ff. de V. S.* quam minores & viliores. *vid. Alciat. in. l. lecta est 40. ff. de R. C.*

## C A P. IV.

### Quomodo crimen nostrum ratione formæ committatur.

#### §. I.

**M**onendum prius est, in quibus monetæ forma consistat; Consistit verò partim in circulo nummi exteriori, partim in vultu Principis, quæ & facies dicitur, *in l. un. C. Theod. Si quis Sol. circ. exter. incid.* item sacrum os, divinus vultus venerabilis forma *l. 6. Cod. Theodos. de indulg. crim. æternalis vultus l. 3. C. Just. de vet. n. potest,*



*potest.* Illiq; vultus modo majori habitu, modo angustiore erāt expressi, *d. l. un.* Porro in figura forma quoq; consistit. Unde figuratio & figuratus solidus. *l. 8. C. Theod. de fals. mon.* nec non in pondere, vel ad libram, vel ad uncias, vel ad scrupulos exacto, de qua re *videtis Jac. Gothofr. in Comment. C. Theod. ad Tit. de fals. mon. in paratit. §. 9.*

§. 2. Ex quibus potest colligi, quod ratione formæ crimen paracharagmi tripliciter potissimum committatur. (1) Si quis signum alienum suæ imposuerit monetæ. (2) Si quis justum pondus monetæ mutilatione ademerit. (3) Si quis grandio rem reflaverit monetam, & ut minorem efficiat, resolverit.

§. 3. Ad primum modum, nempe alieni signi impositionem quod attinet, dubitandum non est, quod per eum gravissimè delinquatur, siquidem capitali puniendus est supplicio, qui æternales Principum vultus, dum fraudibus studet, avaritiæ cœcitate violare audet, *l. 3. C. de vet. num. potest* & majestatis crimen est imagine Principis quomodocunq; abuti vel adversus eam aliquid conari. *l. 4. 5. 6. ff. ad L. Jul. Majest.* Nec nummus dici prius potest, quàm sigilla publicis metallis imprimantur, & id à summo Principe mandetur, cui soli competit jus nummi percutiendi, imagine sua signandi, ejusque valorem atque æstimationem constituendi. *Perez. in C. de vet. num. potest. n. 4.*

§. 4. Quo post legem in Rep. nihil magis videtur necessarium, quippè imperii salus tota fermè hinc dependet. Indè est, quod Imperator Valentinianus non alios nummos, quàm sua imagine formatos, tradi ac suscipi jubeat ab eumentibus & distrahentibus, *in l. 1. C. de vet. num. potest.* quo nummis scil. sua constet auctoritas, & veneratio, quæ Principi debetur, ejus quoque imagini exhibeatur. Moris quippe fuit olim nummos emere ac vendere *d. l. 1. Ungabanti l. 9. §. 2. ff. de edend.* vel etiam qui pecuniam probabant *l. 39. ff. de solut.* item collectarii, quorum mentio fit *in l. 16. C. si cert. petat.* Illorum autè certū corpus Romæ erat solidis vendendis addictum atque constitutum, ei que pretium publicè definiebatur, ne plus justo postulare possent. *add. Gothofr. ad l. un. C. Theod. Si quis solidi circul.*

§. 5. Pa-



§. 5. Parum quoque interest, utrum is, penes quem jus monetandi est, suæ monetæ signum Principis alterius imposuerit, an privatus, qui jure illo destitutus est, tale quid ausus sit. Nam licet casu priori crimen læsæ majestatis ille non incidat, propter *l. 1. C. de fals. mon.* quæ eos criminis Majestatis reos dicit, qui clandestinis sceleribus monetam exercent, quod de iis sanè prædicari non potest, quibus publicè illam exercendi potestas fuit indulta, negari tamen nequit, quod falsi crimen incurrat, atque ab eo liberari nequeat, propter *l. 27. §. 3. ff. ad L. Cornel. de fals.* Posteriori verò casu non tantum falsum committitur, sed ob id etiam Majestas læditur, ut ut nummi justo pondere constant, *l. 2. C. de fals. mon. l. 3. C. de vet. numis. potest.* Ideo quoque Commodum Imperatorem Perenninum familiarem suum pœna capitis affecisse, quod nummos publicos imagine sua formasset, testatur *Perez. in Codic. tit. de vet. num. potest. in 5.*

§. 6. Redditur autem crimen gravius & atrocius, si præter signum etiam nominis accedat impressio. Cum enim signum quandoque possit esse ignotum, hodiè præprimis, ubi jus monetæ cudendæ in tot ferè partes distractum esse scribit *Arnold. Calpurn. l. 1. arcan. rer. publ. c. 16.* quot sunt Principatus, Comitatus, Civitates, latentem tamen alios obscuritatem ejus dilucidat nominis impressio, quoniam scilicet nomina significandorum hominum gratia reperta sunt *§. 29. Inst. de leg. & propterea ipsis indita, quo unus ab altero eò facilius dignosci queat l. 10. C. de ingen. manum.*

§. 7. Quantumvis æquidem aliàs Nomen à prænomine & cognomine distingvatur, *l. 4. C. de testam. §. 29. Inst. de legat.* Hoc loco tamen utramque sub se comprehendit, *vid. Senec. lib. de benef. cap. 4.* Et sanè si is, qui in fraudè alterius nomen suum mutat, falsum committit, propter *l. 13. pr. ff. de L. Cornel. de fals. & l. 10. C. eod.* quid non licendum erit de illo, qui Principis nomen in falsa moneta adhibet, nõ in damnũ alicujus privati, sed totius Reip.? Certe nihil aliud facit, qui monetæ suæ privatæ nomẽ Principis imponit, quàm ut persona dissimulata, se alium esse mentiatur, quàm reverà est. Ut taceã, quod ille, qui aliena insignia, privilegia & titulos altioris ordi-



ordinis sibi adscribit, non minus criminis falsi reus habeatur *l. 27. §. 3. ff. ad L. Cornel. de fals.*

§. 8. Illud autem quæsitum est, an iste, qui signum alienum non usurpat, sed nummos argenteos legitime signatos auro, aut æreos argento tingit & tantum cooperit, posteaque deauratos pro aureis expendit, crimine hoc se obstringat? Quod affirmandum est. Nam licet crimen læsæ majestatis hic absit, tùm quod monetæ forma maneat intrinseca, tùm quod *l. 2. C. de fals. mon.* eos tantum criminis Majestatis insimulet, qui falsa fusione nummos formant, quod ii vero non faciunt, qui nummos jam formatos saltim deaurant, (Diversissima enim sunt monetæ formatio & tinctura, *Carpz. pr. Crim. 1. qv. 42. n. 82.*) Negari tamen non potest, quod hic talis criminis falsi reus fiat, *l. 8. ff. de l. Cornel. de fals.*

§. 9. Secundò ratione formæ moneta falsificatur, si justum monetæ pondus tondendo s. mutilando adimatur: Id quod probatur ex *Ord. Crim. Carol. art. 111. in verbis: Zum dritten / so einer der Münze ihre rechte Schwere gefährlich benimmt* &c. Et hoc forsitan positum extra dubium. Illud verò controversum est, an hoc quoque crimine teneatur, qui pecuniam justum pondus excedentem mutilat & ad legitimum pondus reducit? Videtur sanè negari posse propterea, quod ii tantum, qui falsam monetam perecutiunt. *l. 19. ff. ad L. Corn. de fals.* itemque, qui nummos aureos justiponderis radunt & tingunt *l. 8. ff. eod.* criminis hujus rei dicantur. Sed affirmandum potius est cum *Menochio de A. J. Q. Lib. 2. C. 4. cas. 316. n. 37. propter l. 8. ff. d. t. generalitatem*, utpote quæ non distinguit inter pecuniam, quæ justum pondus excedit, & eam, quæ pondus legitimum habet. Generalia verò legis verba generaliter sunt intelligenda, nec nostrum est distinguere, ubi lex non distingvit *l. 8. ff. de publ. in rem art.* Quid? quod Constantinus in *C. Theod.* non solum ponderis, sed etiam circuli diminutionem vetet, qui verò necessariò imminuitur, cum monetâ mutilatur. Quapropter tonsores hos & mutilatores arbitraria aliqua pœna, pro facti qualitate & personarum conditione, dignos judicat. *Idem d. c. 316. n. 40. in fin.*

§. 10. Nec obstat, quod Sanctio Carolina requirat dolum defra-



fraudantis suo pondere monetam *in verb.* Gefährlicher Weise. At-  
 qui dolosè hâc ratione agere non videtur, qui monetam justum  
 pondus excedentem abradit eo animo, ut ipsam ad pondus legi-  
 timum reducat. Sed utiq; penitus illum dolo carere, conceden-  
 dum est ne utiqvam, si quidem sui lucri causa, non quod suum, sed  
 quod usus publici est, aufert, adeoq; ex dolo reipubl. detrimentum  
 inferre studet. Porrò nec illud obstat, quod radens & mutilans  
 monetam justum pondus excedentem usq; ad quantitatem legi-  
 timam, nemini noceat, adeoq; nec falsum propriè committat,  
 quum falsitas non nocibilis *ex l. Corn. de fals.* non sit punienda *vid*  
*Shneideru. in §. Item lex Cornelia 7. Inst. de publ. Judic. n. 2.* Quoniam  
 concedi nequit, quod factum pecuniâ radentis damnum non ad-  
 ferat, si quidem vel soli Domino monetæ ejusq; heredibus nocet,  
 qui per id defraudantur honore, qui alias ex ponderosiore mone-  
 ta illis accederet, *vid Jacob Menoch. d. cas. 316. Carpz. pr. Crim. 1.*  
*quest. 43. n. 40.*

§. II. Porro quæritur, quæ de nummi racione & mutilatione di-  
 cta sunt, an de nummo in genere, an de aureis solùm intelligenda  
 sint? Dubitandi rationem præbet *d. l. 8. ad L. Corn. de fals.* quæ de  
 aureis tantum, non verò de argenteis & æreis loquitur. Hinc etiam  
 esse videtur, quod Covarruvias & hunc sequutus *Bocerus in tr. de Jur*  
*re mon. c. 5. n. 21. nec. non Marsil. Consil. 71. n. 12.* existiment, raden-  
 tem monetam argenteam pœna *d. l. 8.* minimè teneri. Verum tan-  
 tum abest, ut horum sententiam defendere possimus, ut potius  
 cum *Menochio d. l. n. 35.* affirmandum existinemus, quod etiam  
 ad hosce, qui tantum argenteam monetam radunt, ea, quæ diximus,  
 sint extendenda, tum quod *in d. l. 8.* vocabulum *tingerit* reperia-  
 tur, quod tamen ad solos aureos commodè referri non potest, &  
 quidem ex hac racione, quia stultissimè is ageret, qui num-  
 mos aureos argento cooperire s. tingere laboraret, si quidem con-  
 trarium potius ex depravata consuetudine usu receptum est, ut ar-  
 genteos deaurare & æreos argento tingere soleant. *Menoch. d. l.*  
*Tum quod Ord. Crim. Carol. d. art. III.* nostrum hoc adjuvet asser-  
 tum, utpote quæ de omni moneta absq; differentia aureorum atq;  
 argenteorum nummorum concepta est. Ut taceam, quod hoc iden-  
 titate

tur l. 27.  
 um non  
 ut æreos  
 aureis  
 st. Nam  
 e forma  
 um cri-  
 mant,  
 n deau-  
 Carpz.  
 ic talis  
 justum  
 proba-  
 o einer  
 c forsi-  
 an hoc  
 ceden-  
 nega-  
 reuti-  
 justi  
 dican-  
 2. C. 4.  
 on di-  
 , quæ  
 aliter  
 listin-  
 in C.  
 m ve-  
 Qua-  
 ro fa-  
 n d. c.  
 m de-  
 frau-





titatis ratio quoque; svadeat, quæ eandem facit juris dispositionem  
*per supra alleg. c. 2. §. sicut ergò X. de translat. Episcop.*

§. 12. Tertiò denique, quod ratione formæ moneta etiam per  
resolutionem falsificetur, dubium non est, præprimis *cum verba  
Ord. Carol. art. 111. in banc rem clarissima extent: Wo aber irgend ei-  
ner eines andern Münze umpräget / oder wiederum in Diegel brächte/  
und geringe Münze daraus machte / der soll am Leibe oder Gut nach ge-  
stalt der Sachen gestraffet werden / Cujus prohibitionis hæc dari  
potest ratio, ne scil. moneta à Principe aliove statu formata con-  
tra ipsius voluntatem amittatur, ac simul haud absque præjudicio  
juris monetandi impetrati ejus memoria intereat Carpz. p. 1, qv. 43.  
n. 49. & seqq.*

§. 13. Hinc est, quod Magistratus, cui jus monetandi ex con-  
cessione competit, si in tale quid consentiat, ex Carolina Sanctione  
jus suum ac privilegium monetæ cudendæ perdat *d. art. 111. in fin.*  
Hinc etiam est, quod monetæ resolutio, quæ à privatis fit, & argen-  
tum postea ad alios usus transfert, sub pœna gravissima sit prohi-  
bita. *vid. Recess. Aug. de anno 1559. §. Wir ordnen ic. Cum quò paria  
facere videtur Constantinus in l. 6. C. Theod. de fals. mon. dum Flatur-  
rariis gravem admodum dicitur pœnam, hisce verbis: Comperi-  
mus nonnullos Flaturarios Majorinam pecuniam non minus criminosè  
quam crebrò separato argento ab ære, purgare. Si quis igitur post hæc  
fuerit in hac machinatione deprehensus, capitaliter se fecisse cognoscat.  
Cum verò locus heïc non sit agendi de pœna, ideoque venio ad*

## C A P. V.

### De pœna Criminis paracharagmi.

#### §. I.

QVoad pœnam sciendum est, quod illa semper debeat corre-  
spondere delicto. *l. 11. & 13. ff. de pœn. l. 22. C. eod. l. 4. §. 1. de in-  
end. ruin. naufr.* Sicut igitur criminis nostri certi gradus dantur;  
ita & pœnarum. Primus est eorum, qui falsam monetam cudunt &  
simul expendunt. Ut verò hi gravius perpetrant delictum, cum il-  
lis propriè in fit principium mali, quo majestas læditur, & falsum  
com-



committitur, ideoque & gravior pœna & ordinaria quidem flamm-  
marum exustio, seu ignis supplicium destinatum est ab Impera-  
tore Constantino *in l. 2. C. de fals. mon.* ubi ita pronunciat: Si quis  
nummos falsa fusione formaverit, illicò omni dilatione summo-  
ta, flammaram exustionibus mancipetur. *vid. Vigel. cap. 10. reg. 6.*  
*Jul. Clar. §. falsum. vers. dixi etiam n. 37.*

§ 2. Huic pollicem premit *Carol. V. Ord. Crim. art. 111.* dum  
eandem falsis monetariis dicitur pœnam. Cum verò jam illo ipso  
tempore, & longè adhuc antea, in quantum patet *ex Caroli IV. A. B.*  
*cap. 10.* Statibus imperii & certis quibusdam Principibus jus mo-  
netandi ex imperiali indulgentia fuerit concessum, ideoque maxi-  
mè videntur aberrare, qui hoc in casu reis, qui inferioris cujus-  
dam Principis aut civitatis monetam adulterinam clandestinis  
sceleribus exercent, pœnam mitigandam, & in ignis vicem fusti-  
gationem aut relegationem substituendam esse asserunt. Quod  
enim tali morte plectendi sint ad unum omnes monetæ adulteri isti,  
satis indicat vocabulum supplicium *in l. 1. C. de fals. mon.* adhibi-  
tum, quo posito ubicunque pœna mortis indigitatur §. 7. *Inst. de*  
*publ. Judic. l. 2. C. de Commerc. & mercat. l. 54. C. de Episc. & Cler. add.*  
*Matth. Steph. in Ord. Crim. Carol. art. 111. Wesenb. Conf. 46. per tot. Six-*  
*tin. de Regal. c. 9. n. 69.*

§ 3. Alter pœnæ gradus est solorum Paracharakterum qui fal-  
sam monetam ex vitiosa materia tantum formant, sed eandem  
non expendunt in vulgus. Et de illis dicendum est, quod quamvis  
jure civili *in l. 2. C. de falsâ monetâ* inter cudentem atque exponen-  
tem non distinguatur, hodiè tamen, præprimis in foro Saxon. cu-  
dentes solum vitiosam monetam, non verò eandem exponentes,  
igne concremandos non esse, per ea, quæ habet *Carpz. part. Crim. 1.*  
*qv. 42. n. 91. seqq.* Tum quod secundum gloss. Juris Saxonici *in art.*  
*26. lib. 2. Landr. lit. A.* hæc mortis pœna monetæ falsificatores affi-  
ciendi non sint, nisi sæpius & dolosè vitiosam monetam in detri-  
mentum reipublicæ expenderint; Tum quod in pœna ignis decer-  
nenda ratio damni per monetæ falsificationem dati habenda sit.  
*d. Ordin. Crim. art. 111. verb. Dem Nächsten zum Nachtheil/ ic.* Un-  
de dicendum est, ignis supplicium hautquaquam locum sibi ven-  
dicare,



dicare, si damnum non fuerit illatum. Cum verò ex sola formatione monetæ respub. nullum patiatur damnum, illi etiam, qui solam monetam cudit, pœna ignis non erit irroganda: *Carpzov. d. l. num. 94.*

§. 4. Quamvis autem hic rigorosum ignis supplicium locum non habeat, reus tamen falsæ monetæ à pœna mortis non eximitur, quia sola quoque fusione monetæ imperatoris aut statuum imperii crimen læsæ majestatis committitur, secundum *Constit. l. 2. C. de fals. mon.* sed potius pœnâ læsæ majestatis, quæ regulariter gladius est, plectendus erit *l. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj. Bocer. in tr. de crimin. les. maj. c. 3. n. 9.*

§. 5. Tertius pœnæ gradus est Paraxalistarum, sive eorum, qui nummos tantum corrumpunt. Uti autem horum delictum levius est, quam Paracharakterum: ita etiam in ipsos mitior statuta pœna deprehenditur. De Jure Civili ita cavit *Ulpian. in l. 8. ff. de L. Corn. de fals.* Quicumque nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, siquidem liber fuerit, ad bestias, si servus ad ultimum supplicium dari debet. Et Constantinus M. in hocce *ὑπερόπλοντας*, qui mensuram circuli adraferunt, aut ponderis quantitatem minuerunt (quos *ψαλίδια* id est forficulas Alexander vocare consuevit, quoniam perquam scitè norunt, circulum solidorum abradere. *vid. Cujac. lib. 19. Obs. 25.*) statuit, illos flammaram exustionibus sive aliæ pœnæ mortiferæ mancipandos esse *l. 1. C. Theod. si quis sol. circul. exter. incid.* Quamquam autem olim ita fuerit, aliud tamen hodierno jure, tam propter deportationis, quam servitutis abrogationem obtinet; posterior etiam pœna nimis acerba visa est. Quapropter in sanctione Carolina ita dispositum legimus, ut ille, qui justis valoris ac ponderis numismati circumcidendo & radendo, aut alia nova arte quid detraxerit, in vincula conjici & pro commisso gravitate arbitrariè vel corpore, vel multa coerceri debeat *vid. Ord. Crim. Carol. art. III. vers. Zum Dritz ten ic. Matth. Stephan. in h. l.*

§. 6. Cæterum de pœna ignis ordinaria notandum est, quod ipsa quandoque vel planè cesset, vel tantum mitigetur. Cessat igitur (1) in impuberibus infantis proximis. Sicut enim ætati illorum,

ut-



utpote cui minor inest perversitas, in omnibus ferè pœnalibus judicibus succurritur *l. 108. ff. de R. J. l. 1. § 32. ad SCt. Sillan. l. 16. §. 3. ff. de pœn. & proinde mitior pœna à Jûdice imponitur, c. 1. X. de delict. pueror:* ita etiam illis hoc loco Imperator Constantinus succurrit, & licet criminis participes vel conscii fuerint, securitatem tamen promittit, quia scil. quid videndum sit vel fugiendum, ignorant, *l. 1. C. de fals mon. vers. impub.* Nam nec falsi crimine potest teneri impubes, cum dolus malus in eam ætatem non cadat, dicitur *in l. 22. ff. ad L. Cornel. de fals.*

§. 7. Cessat (2) pœna ignis ordinaria in resipiscentibus in tempore. Quoniã enim illi, dũ cudunt, pœnitentia moventur, ut cœptã monetã penitus non forment & absolvant, reipublicæq; adeò nullum damnum inferant, ideoq; ipsis meritò succurritur, quippè quos non peccasse ex vitio perfecto satis arguit pœnitentia in ipso actu superveniens. Hinc *Paul. in l. 19. pr. ff. de L. Cornel. de fals.* ita pronunciat: *Qui falsam monetam percusserunt, si in totum formare noluerunt, suffragio justæ pœnitentiæ absolvantur. Quid enim officit conatus, si injuria nullam habuerit effectum? dicit Ulp. in l. 1. in fin. ff. quod quisq; jur. &c.*

§. 8. Ut & (3) in iis, qui in sola expositione monetæ vitiosæ ignorantiam prætendunt. Hinc rectè sentit *Jac. Menoch. lib. 2. de A. J. Q. cent. 4. cas. 316. n. 55. & seqq.* quod falsam monetam ignorantèr expendentes jure impunitatem assequantur. Quod tamen de justa & probabili exaudiendum est ignorantia, quippe quæ à dolo & culpa etiam in crimine falsæ monetæ excusat. *l. 9. §. 2. ad L. Cornel. de fals.* ubi in distractione vitiosæ monetæ scientia & dolus expressè requiritur, quem tamen justa ignorantia utiqvè excludit per *l. 3. ff. eod.*

§. 9. Unde verò præsumatur justa ignorantia, quæri posset? Et dicendum esse puto id fieri (1) quando extrinsecus cuilibet non apparet monetam falsam esse (2) si is, qui falsam monetam expendit, persuasione inductus fuerit, ut crediderit justam illam esse. Quod si dubium sit, neque ex conjecturis & circumstantiis aliquid certi de eò appareat, ignorantiam juramento rei falsam monetam  
ex-

natio-  
qui so-  
v. d. l.  
m non  
mitur,  
imperii  
2. C. de  
gladius  
de cri-  
m, qui  
levius  
a pœ-  
ff. de L.  
partim  
vus ad  
hocce  
nderis  
lexan-  
culum  
flam-  
os esse  
lim ita  
tionis,  
na ni-  
dispo-  
ati cir-  
in vin-  
ore, vel  
Driz  
quod  
igitur  
lorum,  
ut-





expendentis probandam esse existimat & testatur *Menoch. d. l. n. 91. & seqq.*

§. 10. Mitigatur vero primò in Minorennibus, utpote quibus subvenitur propterea, quoniam fragile & infirmum est eorum iudicium, multisque subjectum captionibus *l. 1. ff. de minor.* Siquidem in minore, sicut etiã in impubere pubertati proximo nõ tantum, quantum, in majore, dolum esse, atque propterea pœnæ atrocitatem cessare, testis est. *Wesemb. in Parat. ad ff. ad L. Corn. de Sicar. n. 26* Itaque ejusmodi personæ docente *Carpz. part. Crim. 1. qu. 42. n. 89. & seqq.* arbitrio Judicis punientur, qui pro circumstantiarum qualitate pœnam gladii vel fustigationis decernet.

§. 11. Mitigatur (2) si quis non Imperatoris aut Statuum imperii, sed extranei cujusdam Principis extra Romanum Imperium positi tantum, puta Regis Angliæ aut Galliæ monetam falsò cudit, siquidem in hisce cessat pœnæ ratio, ergo & ipsam cessare necesse est. Nam ratio, quod formantes falsam monetam imperatoriam & Statuum imperii ignis supplicio subjiciantur, potissimum hæc est, quod illi crimen læsæ majestatis committant. *l. 2. C. de fals. mon. l. 3. C. de vet. numis. potest*: Quod sanè de peregrinorum nummorum falsificatoribus minimè potest dici. Licet enim hi graviter delinqvant, falsum scil. committendo, aliisque damnum afferendo, propterea tamen rei læsæ majestatis non fiunt, siquidem imperatoriam Majestatem non lædunt, nec subditi eorum sunt, quorum monetam falsificant, à quibus tantummodo crimen læsæ majestatis perpetrari expeditum est. *vid. Clement. Pastoralis §. deniq; cum seqv. rursus de re judic. Anton. Matthæi de Crim. ad L. Jul. Maj. c. 1. num. 7.*

§. 12. Neq; huic sententiæ obstat, quod monetæ usus sit Juris Gentium *l. 1. pr. ff. de Contr. Emt.* proindeq; meritò in monetæ cujusvis violatores æqualis pœna constitui debeat: Siquidem Jus Gentium omnibus Gentibus commune est *§. 1. Inst. de J. N. G. & C.* Quamvis enim concedi possit, usum monetæ Juris Gentium esse, & unius regionis nummos in altera quoq; propter commerciorum usum communem expendi solere; inde tamen non sequitur, parem quoq; & æqualem esse utriusque monetæ auctoritatem; siquidem  
impe-



imperatoria non ex solo usu Juris Gentium, qui indifferenter omnibus nummis dat valorem, sed ex præcepto etiam Imperatoris, unde auctoritatem habet, æstimari apud nos debet, ad quem habito respectu falsarii hujus monetæ læsæ quoque; Majestatis crimen & ignis pœnã incurrunt. Cum verò Principis extranci monetam cudens tantum falsum committat *l. 8. l. 19. ff. d. L. Cornel. de fals.* proinde etiam arbitrariè saltim puniendus est. *Carpz. p. Crim. 1. qu. 42. n. 71. & seqq.* scil. quoniam pœna falsi arbitraria est. Ita tamen dicta accipienda sunt, ut pœna ista arbitraria possit quandoque; extendi vel ad ultimũ supplicium *§. 7. J. de publ. Jud.* vel ad deportationem & bonorum publicationem *l. 1. §. fin. ff. ad L. Corn. de fals.* quandoque; verò remitti vel ad relegationem etiam temporalem usque; *l. 21. l. 13. §. 1. ff. eod.* Plures modos, in quibus pœna ignis ordinaria mitigatur, qui desiderat, adire potest *Menoch. d. cas. 316. n. 50. & Carpz. p. Crimin. p. 1. qu. 43.* ad quos brevitatis causa B. L. remitto.

§. 13. Quamquam autem certis hisce modis pœna nostra restringatur, nihilominus tamen casus datur, ubi & ipsa interdum extenditur. Nam *Constantinus in l. 1. C. de fals. mon.* non solum monetarum adulteros ultimo supplicio jubet affici, sed etiam ipsos actores, servos, incolas atque; colonos, qui illis ministerium præbuerunt, una cum falsificatoribus monetarũ pœna capitali dignos esse judicat: Imò & illos, qui confocii sunt criminis illudque; non propalarunt, non secus plectendos esse dicit, quàm ipsos principales auctores *d. l. 1. vers. facti conscios. & c.*

§. 14. Quod verò de consciis dictũ, in uxore nõ procedit. Quamquam enim illa sciat maritum falsæ monetæ operam dare, nec id impediatur, aut denunciatur, tamen ab ordinaria pœna propterea exemptur, quod culpa videatur carere, dum licet crimen sciat, id tamen prohibere nequeat. *l. 50. de R. J.* cum non habeat imperium in maritum, sed maritus potius illius dominus sit, *l. 8. C. de inoff. donat. l. 57. de donat. inter. V. & U.* Adeoque; mulierem id non revelantem, relegationis aut alia pœna mitiori puniendam esse, auctor est *Perez in C. Tit. de fals. mon. n. 6. Anton. Faber. eod. tit. def. 9.* Atque; hinc esse videtur, quod pœna in crimine falsæ monetæ pro discretionem sexus & conditionis diversitate infligi dicatur *in l. 2. C. Theod. de fals. mon.*

*Curiam excepit in l. 1. C. de fals. mon. ea se in probanda*

D. CAP.

d. l. n.  
quibus  
um ju-  
Si qui-  
nõ tan-  
æ atro-  
le Sicar.  
qu. 42.  
tantia-  
um im-  
perium  
ulsò cu-  
are ne-  
perato-  
simum  
de fals.  
n num-  
graviter  
fferen-  
impe-  
t, quo-  
esæ ma-  
§. deniq;  
l. Maj. c.  
fit Juris  
etæ cu-  
em Jus  
G. & C.  
um esse,  
ciorum  
, parem  
quidem  
impe-





C A P. VI.

De cautionibus quibusdam specialibus in hoc crimine observandis.

§. I.

**U**Ti verò crimen hoc enorme atq; ingens est, ita etiam multa specialia, quibus monetæ falsarios eruere studuit Imperator, habet præstituta, quæ hic proponere placet. Primum autem præcepit Constantinus, inquirendorum falsorum monetariorum necessitatem omnibus omninò incumbere debere *l. 1. pr. C. de fals. mon.* Quam sententiam ita explicat *Gothofr.* ut fundorum & domuum domini, possessiones ac domos suas excutere & peruestigare debeant, alioquin reperto hujusmodi monetario postea, quamvis ejus ignarus dominus fuerit, tamen quia culpæ expers non præsumitur, fundum ipsius sive domum, quæ monetario hujusmodi latebram præbuit, confiscari debere *d. l. 1. vers. domus. Brunne m. ad l. 1. C. de fals. mon.*

§. 2. Altera cautio Constantini ad eruendos *ἄσφαλας* est accusatorum per summa præmia evocatio. Moris quippe fuit apud Imperatores hoc ratione accusatores exciere. Sic etiam in casu non ad eò ab simili Gratianus Theodosius & Arcadius *in l. 4. C. ad L. Jul. repetund.* ei, qui crimen Judicis male judicantis defert, illudq; probat, promittunt, quod victoriam reportare debeat & gloriam *d. l. 4. in fin.* Duplex vero præmium in adductò casu Imperator Constantinus promittit, alterum liberis personis; alterum servis. Et liberis quidem immunitatem *l. 1. C. de fals. mon. vers. accusato-ribus &c.* Non enim, ait, impunitatem, ut quidam volunt, sed immunitatē, id est vacationem ab onerib9 patrimonialib9, quæ census sive patrimonio, ut Triboniano efferre atq; explicare visum est indicuntur. Obtinuit enim, ut etiam in aliis causis liberi accusatores immunitate donarentur, uti hoc confirmat *l. 1. C. de desertor.* ubi ingenu9, qui prodidit desertorē, immunitate potitur, & quidē simpliciter & indistinctè, licet hoc loco non omnimodè aut simpliciter pro præmio accusationis promittatur immunitas, sed tantum pro ea parte, quam Princeps per singulos habitâ census & patrimonii ratione statutur9 est *vid. Gothofr. ad l. 2. C. Theod. de fals. mon.*

§. 3. Sex-



§. 3. Servis pariter summum Civitatis Romanæ jus pro præmio promittitur; pretio tamen illorum dominis refuso *l. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præm.* Ubi duo notanda: Primò, non tantum libertatem pro præmio servis, quod aliàs usitatum servorum accuatorum & proditorum præmium fuit *vid. Tit. ff. qui sine manum.* Verum etiam hoc casu civitatem Romanam nominatim dari, id est justam & plenam libertatem, cum alioquin servis pro præmio Latina tantum libertas præstaretur *l. 3. l. 4. C. pro quib. caus. serv. & c. l. un. C. de rapt. virg.* Secundò, quod, servo pro præmio indicinæ ita libertate donato, pretium ejus à fisco Domino præstari debeat, scilicet, quoniã nullum adest domini crimine: Ne itaq; damnum ipse incurrat, ideoq; è fisco pretiũ servi consequitur *d. l. 2. C. pro quib. caus. serv.*

§. 4. Tertia cautio est, quod si quis militum hujusmodi personam suspectam de custodia exire fecerit, capite puniatur *d. l. 1. C. de fals. mon. vers. si quis & c.* Aliàs de pœna eorum, qui reos è custodia dimittunt, videri potest *l. 12. ff. de custod. & exhib. reor.* ubi milites, si custodiam amiserint, ipsi in periculum deducuntur, & si culpa eorum nimia deprehendatur, supplicio afficiuntur, si levis, puta, si per vinum aut desidiam custodum id evenerit, castigandi & in militiam duriores dandi sunt, si verò fortuito, nihil in eos statuendum. Cæterum carceri præpositus, si pretio corruptus, sine vinculis agere custodiam, vel ferrum venenumvè in carcerem inferri passus est, officio judicis puniendus, si hoc nescivit, ob negligentiam removendus est ab officio *l. 8. ff. de custod. reor.*

§. 5. Quarta est, quod appellandi licentia in hoc crimine denegetur, licet aliàs Jure Justiniano Reus sententia Judicis damnatus & gravatus semper appellare queat, *l. 6. §. 16. ff. de appell. l. 6. C. eod. nisi fortè damnatos statim puniri intersit, ut v. g. comparatũ est, si adsunt in fines latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum d. l. 16. ff. de Appell. & l. 2. C. Quor. appell. non. recip.* Si verò miles & promotus ad gradum, hujusmodi crimen incurrerit, super ejus nomine & gradu, ad competentes Judices referatur *d. l. 1. C. b. t. vers. si verò.*

§. 6. Quintò notandum est, quod, quamvis jure Codicis facinorosi de sociis aliis interrogandi non sint juxta *l. fin. C. de Accus.* hic tamen



TK 2834

tamen contrarium obtineat, quia hoc delictum sua natura tale est, ut verifimiliter cum sociis & ferè numquam sine illis perpetrari possit & soleat. Ideoq; facinorosi statim torqvendi sunt, ut socios nominent *d. l. 1. C. h. t. Farinac. Oper Crim. Q. 115 n. 47. Brunn. ad h. l. d. quamvis.*

§. 7. Imo sexto fundi quoq; dominus in proximo constitutus & sceleris, quod vicinus perpetravit, conscius, multari possessione jubetur, nisi quã primum compererit, apud competentẽ judicem scelus manifestet perpetratum: Tunc enim domus vel fundus, qui aliàs fisco vindicandus erat, præscriptionis injuriæ minimè sub- jacebit. Aliud est, si longissimè ab ea possessione vel fundo absit, tunc enim nullum debet detrimentum sustinere *l. 1. C. de fals. monet. vers. sin vero Brunnem: add. l. 1. C. h. t.*

§. 8. Hæc tamen pœna relaxari atq; ex speciali indulgentia miti- gari solet in Viduis, quæ, utut maximè in proximo constitutæ sint, nisi tamen simul consciæ fuerint monetæ falsæ in possessionibus suis figuratæ, nullam incuriæ vel negligentia pœnam sustinent *d. l. 1. C. de fals. mon. vers. viduas autem & c.* Ex quibus patet, quod in- curiosis domus suæ viduis esse liceat, ut pote quæ secretum amant, & conspectum hominum fugiunt, ut indè multa, quamvis in ipsa- rum domibus fiant, eas nihilominus latere possint, *Gothofr ad l. 4. C. Theod. h. t.*

§. 9. Deniq; notandum, quod tutoribus, cum pupilli ipsi incu- riæ & negligentia pœnam non sustineant, hæc incuriæ pœna im- mineat, quoniam illos ignorare, quid in re pupilli geratur, non oportet, ut *Constantinus, d. l. scribit.* Tutor, in enim quantum ad pro- videntiam pupillorum attinet, habetur domini loco *l. 27. ff. de Ad- min Tut l. 7. §. 3. ff. pro Emtor. l. 56. §. 4. de furt. l. 157. ff. de R. J. l. 11. §. 7. ff. quod vi aut clam.* Itaq; incuriæ ac negligentia nomine non secus ac dominus ipse punitur, siquidem à tutoribus ejusmodi dili- gentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarum, quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præstare debet. *l. 33. ff. de adm. tut.* Unde ipsi, si solvendo fuerint, de rebus suis tantum fisco inferre debent, quantum à pupillo alias esset inferendum *d. l. 1. in f. C. de fals. mon.*

§. 10. Tantum de hac materia dicere volui. Si quid autẽ. decenti modo adductum non fuit, ingenii imbecillitati temporisq; pe- nuria erit adscribendum. Unde mihi propterea facilè ab æquo & candido Lectore veniam polliceor.

SOLI DEO GLORIA.

WDTT



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

